



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vitî is qui in monastica religione solenni voto sese constrinxit, vitam suam
auspicari, & iuxta vocationis suæ normam viuere debeat; quæq[ue] eum
possint ab eiusmodi viuendi genere auocare, & quomodo ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

do operari debes, quasi cœlum à me velis mercari. Nec trutinari, quid merueris debes, nec grandia æstimare quæ facis. Nihil felicitate dignum absque me agere potes, quihuiusmodi opera omnia tibi tecumq; operor. Ego meritum officio ac tibi dono. Tu ergo pro solo amore & ad obtemperandum meo beneplacito, atque vt placeas mihi, opera bona fac. Arbitrari te profus nihil egisse (quia reuera tua sunt opera nulla) & ex misericordia sola mea salutem tibi emendica, non tamen vt segnior propterea in bene agendo aut tepidior sis, sed vt tibi quæcumq; poteris effeceris, dicas: Seruus inutilis sum. Et non in aliquo opere, sed in sola mea bonitate nitaris atq; confidas. Hæc imprime tibi, & fiet vt arbor sis, non sterilis, & absque fructu. Quod nobis omnibus Deus concedat qui est super omnia benedictus in secula, Amen.

Opera bona quo animo perficienda. Esai 26.

Luc. 17.

Vti is qui in monastica religione per solenne votum sese constrinxit, vitam suam auspiciari, iuxtaq; sua vocationis normam viuere debeat, quæq; ea sint quæ eum ab eiusmodi viuendi genere auocare possint: quomodo uem illi eadem vitanda sint.

Epistola XXX.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIVS, CARTHVS. confratri suo charissimo Iohanni Iuliacensi nouiter professo salutem, & iugem suæ professionis memoriam.

EX singulari charissime frater, quem ad vos habeo, charitatis affectu, & quia magister vester idem ipse & meus ad hoc me monuit, de creui dilectioni vestræ scribere per pauca, non quasi aliquid vos docens, sed vt id, quod mihi, quotidie exhortans memetipsum, propono, etiam vestræ charitati non abnuam communicare. Arbitror enim, si quispiam hæc obseruando receperit, nec fructu careat, nec laboris pœniteat.

Ex hac epistola liquet qualis auctor hic fuit etiã in iuuenilibus annis.

Memor esto ô frater (me ipsum alloquor vobiscum) professionis tuæ, vocationis tuæ, & primæ intentionis, quare huc venisti: non ad delicias, non ad otium, non ad fabulationes, non ad somnolentiam & voluptatem carnis, non ad sectandam propriam voluntatem, sed ad faciendam pœnitentiam pro peccatis præteritis diluendis, & futuris cauendis. Hæc autem pœnitentia non in hoc consistit, vt omnia habeas ad nutum, vt nihil sit molestum, nihil graue, nihil durum, nihil asperum: quia sic, non esset pœnitentia, id est, satisfactio pro peccatis præteritis. In omni ergo aduersitate vel molestia, dic tibi ipsi. Ecce frater, hoc est, propter quod venisti, hoc est, quod elegisti. Si voluisses habere voluntatem tuam, non huc venisses. Fac ergo, quod te facturum promisti.

Vt suæ intentionis, cur in cœnobium venisset, memor esse debeat Monachus.

Aliud est tamen perfectius, propter quod venisti, & magis præcipuum, vt non solum ad faciendam pœnitentiam, sed ad cognoscendam & faciendam Dei beneplacitam voluntatem venisses te memineris.

Voluntas Dei beneplacita quæ sit.

Est autem voluntas Dei, vt ultra communia præcepta cunctis ad salutem necessaria, obserues, etiam illa siue præcepta, siue monita, siue consilia, quæ Patres tui Spiritu sancto illustrati statuerunt, & ad quorum obseruantiam te sponte mancipasti.

V 2

Non

Non attendas, si aliquis vel aliqui ex commilitonibus tuis in obseruantia pigrescant, si obliuio professionis lux, retrocedantur, sequentes consolaculculas carnales, spiritum extinguentes, in transgressionibus statutorum proni, ad exteriora exercitia diffusi, ad obedientiam tardi, sub correctione ceruicofifi: quia si illorum opera indebita fueris imitatus, non eris ab illorum praemio exors, aut immunis. Quid ad te, si alius quod promissit aut debet, non obseruat? Negligentia ipsius te non excusat: nihil propterea remanes minus obligatus, sicuti etiam si bene fecerit, tu nihil inde eris remuneratus.

Sic igitur tibi firmum propositum, sit omne studium, sit totus conatus tuus, vt viuas secundum statuta tua, iuxta interpretationem & *πρωτη* superiorum tuorum & aliorum honorum Deum timentium.

Debita vt
sint Deo
soluenda.

Per solue Deo debita sua loco, tempore, & modo sicut oportet.

Distingue tempora secundum instituta Patrum. Quando orandum fuerit, ora: quando comedendum, comede: quando dormiendum, requiesce: & sic de caeteris.

Nam sic faciens, propter obedientiam semper mereberis, etiam vbi operi illi de genere suo alias non esset meritum: imò vbi etiam alij ex propria voluntate hoc idem facientes, frequenter peccarent, non ratione operis, sed ratione corruptae intentionis, quae vbiq; se miscet, vbi obedientia deest.

Vt non possit proficere qui abiecit decreta maiorum.

Difficile est, imò vt verius loquar, impossibile aliquem proficere, qui ordinationes Patrum paruipendit, socialem conuersationem turbat & cõsumit, tempus dissipat, ipse sibi magister & legislator est. Orat quando vult, dormit quando vult, laborat quando vult: perueruens ordinem diabolo insurgente, vt semper id faciat eo tempore, quo fieri statuta prohibent: & quando licet facere, occupatur circa alia sibi placita: & sic non solum euacuat à se omne meritum, sed etiam incurrit indies magnum animae detrimentum, & religionis dispendium. Tu verò ordina cuncta opera tua ad obedientiam, secundum obedientiam, & propter obedientiam ad placendum summo & optimo Deo.

Diuina presentia semper attendenda.

Vbicunq; fueris cum alijs, aut solus, semper habe oculos tuos ad diuinam presentiam, quae te obseruat, cunctas cogitationes intuetur, intentiones disquirat, & omnes motus tuos, animiq; affectus diiudicat: Non audeat solus facere, quod non auderes Priore praesente vel magistro: quia maior tibi necessitas incumbit reuerentiam praestare Deo & angelo tuo, qui semper tecum sunt, & vident te ab intra & extra, quam cuiuslibet hominum.

Verecundia vbiq; seruanda.

Quantumcunq; fueris solus, semper habeas te verecundè, in lecto, dormiendo, surgendo, exuendo, necessitates corporis faciendo, & vbiq; fueris, ac si videreris ab hominibus, propter angelos & propter conspectum Dei. Legitur de quadam sacra virgine, quae nunquam etiam pedes suos nudos conspexit per multos annos, quanto minus caetera membra, ex verecundia & amore castitatis: Similia de sanctis plura leguntur, qui proprium corpus nudum nunquam praesumpserunt aspiceret.

Tempus vt fructuose expendatur.

Cum feceris in cella, quae ex debito vel ex speciali obedientia teneris facere, studeas tempus reliquum fructuose expendere: faciendo tibi consuetudines, vt quid quolibet tempore faciendum scias, & non ducaris curiositate, instabilitateq; mentis, eligendo nunc hoc, nunc aliud &c.

Exer-

Exercitia tua distinguè discretè, vt inter spiritualia interpolatim admittas corporalia: & ita admittas, vt spiritui tuo seruiant, non deuotionem extinguant: vt ipsa te fortiores reddant ad spiritualia, non pigriorem: ita illis inhæreas, vt possis dimittere, quando libet. Ordina exteriora exercitia semper ad spiritualia, vt conuenientius illis possis & alacrius intendere.

Quod si contrarium feceris, peruersus fit ordo.

Non incumbas alicui exercitio etiam spirituali eorum quæ sunt supererogationis vsque ad fastidium, vt tædeat redire: sed etiam spiritualia propter iucunditatem mentis & reuelationem naturæ studeas alternare.

Lectio tua sit ad compunctionem inueniendam ad inflammandum affectum, ad illuminandum intellectum, vt scias quid te oporteat facere, vt diligas diligenda, & odias odienda. Non legas ad ostentationem, vt habeas quod possis allegare, & sciens videri: nec ad curiositatem, sicut qui omnes libros respiciunt, & in nullo proficiunt. Satis est illis vidisse. Legeret seculares historias, & seculi audire rumores nescio vtrum illorum plus noceat: neutrum enim decet Monachum.

Diffinitionibus Prælati & magistri tui plus innitaris, quàm tuæ lectioni: eo quod doctores non poterunt respicere ad omnes circumstantias, quæ ferè in singulis actibus variantur: nec est tam generalis regula, quam non conuenit pro loco & tempore variari. Idcirco in omnibus dubijs non innitaris prudentiæ tuæ, sed consilij eorum quibus te commisisti. In omni dubio securus esse potes, & sine peccato, si acquieueris consilio Prælati, magistri vel confessoris discreti: quia & si illi errarent, tibi tamen huiusmodi error non pro peccato, sed pro merito scilicet, humilitatis & obedientiæ à Deo imputatur: & hoc in dubijs, & in scrupulis. Nam in manifestis nulla est dubitatio.

Noli esse extra disciplinam & curam magistri tui, sed quamdiu vixeris, habeas illum in reuerentia: tractans cum eo omnia consilia tua, & secundum iudicium illius dirigens omnia opera tua. Caue ne vnquam tibi sapiens videaris, & sensu proprio ducaris. Nam vt S. Vincentius & reliqui sancti experti testantur, nunquam Deus alicui gratiam suam dabit proficiendi, quæ quanticumque etiam sit ingenij, quanticumque literaturæ, quoscunque etiam habuerit libros, si habuerit aliquem, qui se potuit instruere, & negligit vel contemnit existimans se sibi sufficere. Deus enim vult, vt se subijciat homo homini. Propterea magnum Paulum per seipsum noluit instruere, sed misit eum ad Ananiam, dicens: *Vade ad Ananiam, & ille dicet tibi, quid te oporteat facere.* Propterea sancti patres in Aegypto & Thebayde ad summam perfectionem (quia sub obedientia etiam vsque ad impossibilia persistebant) cito perueniunt. Multa habes in Vitis Patrum & in Collationibus: & in quotidianis experimentis cernitur, quanta pericula incidant, qui sine rectore incedunt: & quam expediti sint in spirituali profectu, qui diffinitionibus sui Prælati vel magistri se humiliter submitunt, & confidenter acquiescunt.

Secreta tua noli omnibus communicare: sed tam virtutes, quam defectus tuos (præterquam Priori, confessori & magistro quibus te plenè & nudè manifestes) studeas zelare. Nam licet de se humilitatis sit, proprios defectus manifestare vel dicere fratribus (sicut in Vitis Patrum plerique leguntur fecisse) tamen his temporibus, quando omnes proni sumus ad scandalum, inexplerti,

Exercitia externa vt sint admittenda.

Exercitia vt sint alternanda.

Lectio cuiusmodi c. t.

In dubijs vt quis securus sit.

Sensus proprius proculcandus.

Acto 9.

Secreta non omnibus aetegenda. Defectus proprii non passim omnibus aperiendi.

perti, suspiciosi, amari, superbi, &c. non expedit, nisi cognosceret quis, & quibus loquitur, & sciret sibi hoc profuturum. Stude semper pacem habere in corde tuo. Hæc autem pax non consistit in non sentiendo aduersa, sed in patienter tolerando. Nec tunc pacem habere te putes dum nemo te arguit, premit, despicit, deridet &c. sed dum hæc & similia aduersa æquanimitèr & sine mentis perturbatione susceperis. Nemo potest te lædere, nemo potest te inquietare, nemo potest pacem tuam tollere, nisi tu ipse. Molestia quæ venit ab extra, non est quæ grauat te: sed superbia tua, immortalitas tua, propria voluntas, proprius amor faciunt tibi grauamen. Si enim te contemneres, ipse non doleres, contemni ab alio. Multum iuuat ad pacem & quietem, parum, raro & non nisi necessaria loqui. Silentium tuum fit cum aliqua serenitate vultus conditum: ne abij parent te ex amaritudine tacere. Si aliquis te pungat deridet, aut si familiariter alloquitur, semper ostende vultum serenum, quasi subridendo, & caue à multiloquio. Sicut in facie serenitatè, ita in corde dulcedinem, in moribus maturitatem, in gestu honestatem, in opere & in omni conuersatione studeas exhibere humilitatem. Quantum in te est, cura ab omnibus diligi, & omnes diligere, fuge contentiones, vanas disputationes & cetera huiusmodi, quæ charitatem vulnerant. Charitas ad omnes habenda est, sed familiaritas singularis ad aliquos abijcienda: quia generat frequentes graues tentationes & suspiciones ex parte sui, alterius & cæterorum. Quotidie habeas certas qualdam petitiones pro virtutibus acquirendis, & vitij extirpandis. Facias tibi memoralia, vt in illo loco, in illo tempore, in illa hora, ante hoc & illud opus, velis hoc & hoc à Domino petere: pro illo & pro illo gratias agere. sic & sic te commendare, illius & illius Sancti memoriam agere, quid orare & in quo animum tuum occupare habeas. Bonas consuetudines & exercitia solita noli postponere nec faciliter variare, nisi vel propter obedientiam, vel ob discretionem: & tunc fiat cum consilio tui magistri, vel patris spiritualis. Facias tibi propositum, quomodo te velis habere in choro, in colloquio, in illo tempore, & in illo, item pro illa virtute, & illa conquerenda & quoties illud propositum transgressus fueris, petita misericordia à Deo, à nouo propone. Noli desistere à proposito bono & conatu etiam si cecideris vno die, donec Dominus laborem tuum respexerit, & auxilium miserit. Singularitatem inter fratres fuge, in ijs quæ fieri possunt vel omitti. Nihil insolitum vel nouum attempta sine consilio. Si tibi insolitum quid in anima vel corpore euenerit, quæ otius indicare studeas illi, qui tui curam habet, sicut magistro vel Priori. Cogitationes de habendo, vel vt esses in alio statu, aut loco, sicut cogitationes fornicationis in principio abijcias: quia grauius imæ tentationes & inquietudines oriuntur inde illis, qui non curant easdem in principio rejicere. Statum domus & conscientias fratrum studeas potius nescire, quàm scire: alioquin non habebis pacem. Ad cauendū detractio- nis vitium, consultissimum est remedium, de absentibus omninò non loqui. Noli quempiam accusare, aut leuiter reprehendere, nisi sit tale quod accusatione foret dignum, quod vergeret in scandalum ordinis, personarum, vel in ipsius peccantis periculum sicut quando esset mortale, vel inducens ad mortale, & quando speratur emendatio illius qui admonetur.

Hæc charissime frater charitati vestræ volui communicare: non quia ego

Pax cordis
in quo ita
fit.

Nemo lædi
tut nisi a se-
ipso.

Loquendum
uam sit di-
serete

In facie, cor-
de, moribus,
gestu, opere,
& conuersatio-
ne vt se mo-
nachus ex-
hibere de-
beat.

Propositum
bonum ob
crebros lap-
sus non di-
mittendum.
Singularitas
quæ fugien-
da sit.

Detractio vt
caueatur.

2 VI
16

ita facio, sed facere vna vobiscum propono, & vos mecum ad faciendum in-
uito. Obsecro autem vos per viscera Iesu Christi, vt pro me oretis, vt cuius
gratia hæc potui scribere, illius merear & adimplere, ne mihi impropere-
tur illud Evangelicnm: *Medice, cura teipsum.* Arbitror tamen quod & si vita dif-
cordat à doctrina & mihi obijciatur, quod aliud doceam, aliudq; faciam, cõ-
fusus hæc poterit mihi fore salutaris. Valet, & Dominus faciat vos spiritu
crescere sine defectu. Si animum applicaueritis & bonam voluntatem ad De-
um, ambulando sub obedientia, & non declinando ad dexteram neque fini-
stram, *docebit vos vnctio eius de omnibus.* Opto autem vobis charissime frater
(quod in principio debueram) vt in pinguedine terræ, hoc est, in dulcedine
deuotionis, in promptitudine bonæ voluntatis, in fertilitateq; bonorum o-
perum, & in rore cœli desuper, id est, in consolatione Spiritus sancti, in afflu-
entia denique omnium gratiarum & charismatum sit benedictio & vestra &
mea, Amen.

Luc. 4.

1. Ioan. 2.1
Vnctio fan-
cti Spiritus
quos doceat.
Gen.: 7.

*Vt nemo ex leuibus signis de culpis internis facile vel temerè iudicandus sit, quiq; alio-
rum facta sint in saniozem sententiam trahenda.*

Epistola XXXI.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIVS, CARTHVS.
Fratri N. charitatem fraternam, & bene sentire de proximo.

Charissime frater, quoniam in proximo huius diei colloquio ex
singulari (vt credo) ad me, quam habes, confidentia denudasti
cor tuum mihi circa quandam, quæ te mouet, turbationem.
Molestum nanque tibi est, quia ille frater (quem nosti) per vul-
tus tristitiam te pro quibusdam defectibus reprobare videtur: vt, super
silentij fractione, & huiusmodi: & in hoc (vt tu existimas) te iudicat, cum ip-
se peior sit per temerarium iudicium, & per superbiam, qua seipsum tibi præ-
fert seruantem statuta, & te quasi negligentem contemnit, quam tu, qui licet
in paruis transgrediens, tamè temetipsum humiliter recognoscis, & alios nõ
iudicas. Optima & vera sententia: Nam reuera qui alium iudicat aut cõtem-
nit pro aliquo defectu, plerumq; suo iudicio plus peccat, licet sibi innocẽs vi-
deatur, & deterior efficitur apud Deum, quàm alius quem cõtemnit: Verùm
sustine modicum charisime, & noli nimis cito tibi, quasi benè sentienti & iu-
ste commoto, ex verbis meis blandiri. Ostendam enim tibi, quia ex ore pro-
prio teipsum iudicas, & hæc sententia tua non minus te, quam alium, ne di-
cam plus, damnat. Ecce stas cum aliquo fratre (verbi gratia) loqueris, & tem-
pore etiam forsitan & loco suspecto: præterit nescio quis, tristem ostendens
vultum, & quasi faciem indignantis præ se ferens, vel postera & sequentibus
diebus vix tibi loquitur. Murmurat in corde, & diuersi tibi occurrunt suspi-
cionũ aculei, quod scilicet te iudicauerit tanquam silentij fractorẽ, cū potue-
rit & debuerit hoc in meliorẽ partẽ interpretari, & non pronus fuisse ad ma-
le sentiendũ de proximo, & quod ipse festucã in oculo tuo tã cito indignabũ-
dus viderit, habens & non sentiens trabẽ superbiz & iudicij temerarij in suo.
Ecce aduerte quid cogitas, quid sentis, quod tu scilicet minus peccasti loquẽ-
do, & ille grauius iudicãdo: & ideo nõ debuit se extollere, nõ debuit te repre-
hendere.

Alium iudi-
cans temerè
vt peccet.

Luc. 6.